DE

DIABETE MELLITO.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XI. M. FEBRUARII A. MDCCCXX

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

FERDINANDUS FANNINGER

LAUENBURGO-POMMERANUS.

BEROLINI,

TYPIS JOANNIS FRIDERICI STARCKII.

VIRO

ILLUSTRISSIMO LONGEQUE EXPERIENTISSIMO

HENR. KOHLRAUSCH

UTRIUSQUE MEDICINAE DOCTORI, POTENTISSIMO BORUSSORUM REGI A CONSILIIS INTIMIS MEDICIS, IN SUMMO MAGISTRATU RERUM SACRARUM AC MEDICARUM ET INSTITUTIONIS PUBLICAE, ORDINIS CRUCIS FERREAE, ORDINIS CAESAREI RUTHENICI ST. WLADIMIRI ET REGII HANNOVERANI GUELPHORUM EQUITI, PLURIUMQUE SOCIETATUM LITERARIARUM SODALI ETC. ETC.

PERINDE AC

VIRO

AMPLISSIMO DIGNISSIMO

IOAN. SIM. MAERCKER

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, REGI A CONSILIIS REGIMINIS MARIAEINSULANI ET MEDICIS.

FAUTORE PATRONOQUE

principiis clarioribus contigerit. Unde factum est, ut, quaecunque de medela hujus morbi praeciperentur ad nostrum usque aevum, partim ambigua, partim contraversa essent.

Inspecto hujus libelli titulo, protinus, lector benevole compertum habebis, de diabete mellito me sermonem instituisse, meque nimis audacter hancce materiam delegisse, criminaberis. Priusquam vero acrius in me inveharis, scire oportet, in conscribendo hocce opusculo, eam rationem me esse secutum, ut medici, quorum est, huic morbo mederi, ad eam curandi methodem attendantur, quae omnium experimentis maxime respondit.

Haecce lector benevole consideres velim, si dissertationem minime tibi satisfecisse confiteris; ceteroquin persuasum tibi habeas, pro viribus me elaborasse, et quidem permulta incerta ac ambigua, quibus medicina rationalis obumbratur, quo minus meliora praestarem, me impedivisse. Vale!

Quod si auctorum opera antiquiorum, justa cum adtentione recognoscimus, diabetem iis fuisse cognitum, facili negotio apparebit. Celsus [1]) breviter quidem, sed distincte mentionem ejus facit, et Galenus [2]) etiam super eo exponit, utpote in quo potiones sine ulla mutatione per urethram descendant. Aliquanto post Aretaeus Cappadox [3]) prolixiorem quidem et accuratiorem hujus mali descriptionem exhibuit, quem tamen perinde ac seriores medicos symptoma pathognomonicon latuit. Thomas Willisius natione Anglus, vir magni nominis, primus principium sacharinum in urina detexit, ac de indole diabetis certiores nos reddidit, nec non successoribus suis Morton, Dobson, Cullen, Home, P. Frank, Marabelli, Rollo aliisque incognitam adhuc morbi rationem illustravit.

Ad diagnosin morbi haec pertinent: diabetes mellitus, verus, s. Phthisuria secretio et excretio lotii est continua et immodica, quibus partes nutribiles in sachari forma ex corpore egerun-

---

1) De medicina. edit. Bipont. pag. 237. „et cum urina super potionum modum etiam sine dolore profluens, maciem et periculum facit, si tenuis est.

2) De locis affectis. edit. Bipont. Lib. VI. Cap. III. pag. 311.

3) Editio Halleri. Lausannae 1771. Lib. II. pag. 101.

tur, quasque fames ac sitis aucta, et postremum corporis emaciatio sequuntur. Dubitationem non recipit, quin similes morbi animalia etiam divexent. Cleghorn in Rolloi libello [1]) de equorum morbo (law-pish) adtentione digno exposuit, quem in excretione urinae copiosae, limpidae et acidae consistere, animaliumque debilitatem et tabem efficere, dicit. Quid, quod ad cortices arborum nonnullarum pomiferarum et folia plantarum non raro gummosi dulcesque liquores, usque ad stirpis ipsius tabem transsudant, et insecta, aphes innumeras, ut totidem parasitos, alliciunt. Nec prima diabetae symptomata, nec tempus facile diffinietur, quo urina dulcessere, ejusque excretio augeri incipit, quum aeger sibi persuasum habere soleat, urinam immodice redditam ex aucta potionum copia proficisci, eamque ob causam haud raro per longius tempus negligat, saporemque urinae sacharinum casu tantum animadvertat.

Auctore P. Frankio [2]) diabetes mellitus utplurimum repente incidit, ex more autem prodromi eum antecedere consueverunt, qui organorum digestionis assimilationisque affectionem insignem denunciant et per plures menses ante ipsa morbi initia eveniunt. Haec symptomata prae omnibus respicienda sunt, quippe quae vasorum

---

1) *John Rollo, Abhandlung des* Diabetes mellitus, *übersetzt von Heidemann. Wien.* 1801.

2) Epitome de curandis hominum morbis. Lib. V. §. 480. „prima, quae in diabeticis, quos vidimus occurebant, et ex improviso hominem prehendebant, symptomata . . . fuerunt."

resorbentium actionem adauctam, acidaque in digestionis organis contenta testantur, et morbum praecedentem continuo comitantur. Haec quidem maxime sunt: ructus acidi, pyrosis, appetentia ciborum non eadem cum excretione alvi plerumque legitima, aegrotus per intervalla materias vomit acidulas, pituitam et cibos quadantenus crudos eructat, tabescit, tussi sicca, dyspnoea, exanthematibus scrofulosis et tumoribus glandularum conglobatarum exercetur. Quae si brevius longius tenuerunt, morbus ipse furtim quasi illabitur, ut ne aegrotus quidem initium ejus, et symptomata quibus oriebatur, certo indicare queat. Cum quidem appetentia ciborum adaucta sitique immodica interdum aegroti adtentio excitetur, facili tamen negotio de indole ac modo urinae excretae securus est, quippe quam potu liberaliori moveri, sibi persuasum habet, experimentis circa ejus saporem nondum institutis. Auxilium quod ex medicina est, eo usque solet differre, dum omnium affectionum exacerbatio, corporis macies viriumque prostratio naturam diabetae melliti manifestam contestentur.

Utplurimum diabetes ab aucta ciborum cupiditate, ad mortem usque propinquam continente, ordiri consuevit. Ingentem alimentorum vim hoc morbo detenti citra satietatem in ventriculum ingerunt, eamque facili negotio concoquunt. Aliis in exemplis anorexia et dyspepsia mutatis vicibus se excipiunt et nunquam non sensus dolorificus urens thoracis aut eorum, quae circa ventriculum sunt, desaevit. Excretio alvina aut est naturalis

aut tarda, rarius fluida dejiciuntur. Insimul famem oris siccitas subitanea, sitis insatiabilis ac major, quam quae verbis possit describi, poculo vixdum ab ore retracto usque repetens, comitantur. Haecce difficultas, quum usque morbi gradum sequatur, noctuque vehementissima sit, minus potulentis quam esculentis, iisque medicaminibus debellatur, quibus morbo ipsi subvenitur. Humorum copia siti compescendae sufficiens, quam maxime discrepat. Knebilius [1]) diabeticos per horas quatuor et viginti, quadraginta ad nonaginta aquae libras hausisse asserit. Nec non in exemplis est, aegros animo defecisse, ubi atrocissima bibendi libido non protinus extingui potuit. Illud Knebelii [2]) effatum minus fide dignum mihi videtur, diabeticos quosdam siti omni caruisse, quin ex fluidis horrorem sensisse, siquidem P. Frankius qui longe saepius aliis Germanorum medicis istiusmodi aegrotantibus curam praestitit, ex quibus quidem Reilii opinioni, aegrotos eos vero diabete non laborasse, multum probabilitatis accedit. Causas famis sitisque vehementissimae a Reilio [3]) optime expositas esse, judico, quippe qui eas ex aucta urinae secretione repetit, cui majore materiarum copia opus sit, quarum quidem desiderium animo per coenaesthesin ceu fames repraesentetur. Secretio lotii aucta principio sacharino

---

[1]) *J. G. Knebel Materialien zur theoretischen und practischen Heilkunde. Breslau.* 1800. *Lib. I. pag.* 227 — 235.

[2]) ibid. pag. 234.

[3]) *Ueber die Erkenntnifs und Cur der Fieber. Lib. III.*

imbuti alterum diabetae melliti symptoma est. Quod ad copiam urinae redditae attinet, parum exemplornm prostat [1]), in quibus ingestorum mensura non excretis longe inferior esset. Medicorum plures fide dignissimi ut puta Knebelius [2]), Plonquetius [3]), Dreyssigius [4]), Fothergillius [5]) P. Frankius [6]) se observasse asserunt, lotii excreti vim potuum et ciborum copiam multo superasse, quod solum ex cute et pulmonibus aëris fluida imbibentibus [7]) explicandum eoque magis credendum est, quum calor pectoris, cutis continua siccitas et exemplum a P. Frankio observatum multum probabilitatis huic opinioni praestent. Aegrotus scilicet ab eo tractatus cum sub calore aestivo ac coelo sereno, parum in urinis excederet: autumnali ac hiemali sub frigore, vel cum pluviae instarent, quam plurimas mingebat.

Praecipuum tamen et pathognomonicum morbi symptoma, principium sacharinum est, cum urina

---

1) Rollo l. c. pag. 18 — 19. sqq.
2) *Materialien etc. p.* 194 — 205.
3) Initia bibliothecae medico-practicae. Tübing. 1793. T, II. p. 715.
4) *Handbuch der medicinischen Diagnostik. Erfurt.* 1803. T. II. p. 249. sqq.
5) *Sammlung auserlesener Abhandlungen, z. Gebr. f. prakt. Aerzte.* Lib. I. pars II.
6) Epitome Lib. V. pag 144. „Urinae copia vero tanta hoc in morbo esse solet: ut, cum puella nonnisi septem tum solidi alimentis tum potus libras assumsisset triginta sex tamen pintas urinae dimitteret. In viro paucos ante annos a nobis ad Clinicum Institutum suscepto, urinae quotidie ad libras quadraginta, vel et, semel quinquaginta cum duabus ascendebat. . . . Vix mitior casus nobis oblatus est, in quo non lotium ad dimidium, vel duas tertias ad partes, ingesta — et excreti liquoris pondus, jam paucas post dies, illud corporis totius quam maxime superaret.
7) Rutheford in Rolloi dissert. p. 170.

intime mixtum. Color ejus pallidus vel turbidus, lacteus et ex flavo viridis animadvertitur, odor urinosus communis ei deest, sed odorem dulciorem mellis diluti instar spargit; nec saporis salsi ut urina normalis, sed subdulcis uti succus alni betulae verno tempore e trunco profluens est. Quantitas hujus fluidi quaedam leniter evaporata odorem spirat jucundum, ejusque residuum inspissatum flavum, melli simile est colore odore et sapore, sibi ipsi permissum in fermentationem vinosam et acidam transit. Willisii, Dobsonii, Hughesii, Cawleyi prae omnibus virorum celeberrimorum Cruikshankii [1]) et Marabellii Ticinensium, nec non Fourcroyii et Vauquelinii [2]) Parisiensium experimentis summa cum diligentia institutis, quae comperta habemus, debentur. Substantia evaporationi superstes, si spiritu vini elixatur, materia obtinetur dulcidula, sacharo puro fere aequalis, quae acidum acetosum sistit, ubi acido nitrico saturatur. Residui copia mellaginei pro aegrotorum diversitate, quorum urina examini submittitur, pro excretionis tempore et cibis assumtis differt. Rolloo teste, urinae principium sacharinum eatenus diminuebatur, quatenus morbus decrescebat et prout aegrotus magis minusve medici sui praeceptis morem gerebat. Marabellius per experimenta chemica ex libra una urinae diabeticae duas, octo ad quatuordecim sacharinae materiae drachmas, et P. Frankius ex

---

1) Rolloi dissert. pag. 531 — 549.
2) Annales de Chymie. Tom. XXXII. pag. 80. 113. 211.

quatuor et viginti urinae diabeticae libris, viginti sex unicas obtinuit, quae in museo pathologico Academiae regiae Ticinensis asservantur. Discrimina urinae normalis et diabeticae facile eruuntur: illi odor peculiaris urinosus, sapor salsus et facultas subest, paulo post excretionem putrescendi, haec autem ante putredinem post viginti aut viginti quatuor dies subsequentem, fermentatione vinosa et acida mutatur. Porro urina normalis explorationi chemicae submissa residuum praestat, materiam urinosam, natrum muriaticum, natrum phosphoricum, ammonium phosphoricum, ammonium muriaticum, calcaream phosphoricam et acidum liberum phosphoricum continens; diabetica autem principio urinoso in totum caret, sacharino abundat. Denique hydrargyri nitrici solutio urinae naturali admista praecipitatum rosaceum, diabeticae addita, albidum dejicit.

Eeodem tempore, quo urina dulcescere incipit, aegri vires sensim sensimque prosternuntur, partes extremae inferiores primum macrescunt, genua tremiscunt, nec ambulare, nec pedibus insistere is potest, et in lectulo detinetur. Veneris desiderium itidem extinguitur, id quod P. Frankius, Rollous et Reilius nunquam non observarunt, quorum hic memoriae prodidit, diabeticum quendam, qui quum sanus esset, quinquies nonnunquam per noctem coitum exercuerat, ineunte morbo omni virtute virili esse destitutum.

Procedente morbo et alia accedunt symptomata: sputa tenacia, albida et dulcia, lingua albida marginibus purpureis notata, tumor et tabes-

centia gingivarum qualis in scorbuto evenit. Dentes labefacti facile excidunt. Aegrotus dolore regionis lumbalis ad suras descedente aut frigoris sensu, quasi liquidum aliquod ex lumbis in vesicam descenderet, cuti arida et anserina, quin imo squamosa, et exanthematibus aut tanto torpore conflictatur, ut pili citra dolorem ex ea evelli possint. Somnus tum siti vehementissima, tum urinae mittendae necessitate tanta interdum cum celeritate irruente, ut aegrotus matulam arripere vix possit, turbatur. Foeminarum diabete laborantium Gerardio auctore ubi urina auctior profluxit, urethra per intervalla dolet, viris autem si morbus processit praeputium ita tumescere, ut retrahi non possit, et phymosin nasci, Rolious aliique medici perhibuerunt. Sub praeputio et in glandis superficie, smegmatis secretio augetur et ulcuscula pallida oriuntur.

Potentiis hujusmodi debilitantibus febris supervenit hectica, quo facto et arteriae debilius, mollius et tandem crebrius pulsant. Debilitas in diem augescit, calorem ac singula symptomata snb noctem exacerbari, observantur. Denique animi vires pessum dantur, quae corporis vigore diutius incolumes exstiterant, animus lente hebescit et organa sensuum officia sua praestare nequeunt. Morte appropinquante, vires magis magisque concidunt, vox aegri attenuata vix auditur, febris hectica invalescit, aut testimonio medicorum celeberrimorum [1]) organorum respirationis affectiones na-

[1]) Burfenius de Kanilfeld instit· med. pract. Tom. IV.

nascuntur inflammatoriae lethales, aut affectiones hydropicae, deliria blanda, nervorum distentiones ac sopor supervenit, et tandem miser e vivis excedit.

Symptomata haec recensita, dum medicorum sensibus concipiuntur, diabetae melliti Diagnosin certam constituunt. Quam facile autem medicus urinae principium ignorare et morbum perperam judicare potest! Quam ob rem medicus, Hufelandii et Reilii consilium secutus, de diabete mellito cogitet necesse est, si aegrotus fame ac siti magna exercetur, bene concoquit, febri vasculosa vel dejectionibus quibuscunque vacat et nihilominus viribus et corpore tabescit.

Diabetae melliti confusio cum morbis nonnullis ei similibus, qui subjiciuntur, non adeo timenda est:

1) Lienteria urinalis, quam excretionem potuum assumtorum immutatorum per urethram esse, dicunt. Knebelius, [1]) etsi exempla recensuit, quibus emulsiones e seminibus paratae, vinum rubrum quin imo amygdalarum oleum paulo post assumtionem per urethram immutata descendebant, ejus tamen effatis jam anti-

---

§. CCV. „Joannes Lackius, referente Cochio (Bagni di Pisa p. 271) septem aegros ex diabete laborantes vidit, qui post duos vel post tres annos obierunt ex peripneumonia, et sanguinem exspuerunt uno vel altero ante mortem die. Id ipsum vidi ego in comite Summariva Laudensi."

Horns Archiv für medicinische Erfahrung 1816. *Heft I.* pag. 52.

R. A. Vogel praelect. acad. de cognosc. et curandis praecip. corp. hum. affectibus. Edit. II. Goettingae 1785. §. 364.

[1]) l. c. pag. 128 sqq.

quitus prolatis, et argumento destitutis fides non habenda est. Quomodo hunc statum explicabis, nisi Darwinii opinioni adstipulari velis, qui vasorum absorbentium intra ventriculum et renes motu retrogrado, eum induci asserit? Si tamen hic morbus peculiaris existit, a diabete mellito facile distingui potest.

2) Chyluria s. coeliaca urinalis, morbus haud minus obscurus, quem excretionem chyli immutati per renes esse ferunt, cum diabete facilius confundi potest. Observationes tamen desunt, quae de hoc morbo certiores nos reddant, etsi Stollerus [1]) aegrotum quendam simili morbo, et Reilius [2]) alium catarrho vesicae urinariae detentum viderunt, qui facile pro chyluria haberetur. Morbus tamen reapse existens, diabetis esset varietas.

3) In Hysterismo aut hypochondriasi, sub febrium crisi vasculosarum, post potiones aquosas liberalius assumtas et diureticorum usum, urinae quantitas copiosa, principio autem sacharino carens, ejicitur. Hae conditiones peculiares causam continent lotii copiose profluentis ideoque discrimen facili negotio patet.

4) Denique dipsacum huc refero, quem antiquiores medici [3]) ex morsu serpentis quae *Dipsas* nominatur, nasci existimabant, hic vero semper aliorum morborum symptoma est, aut

---

1) *Beobachtungen und Erfahrungen. Gotha* 1777. *pag.* 8

2) Memorabilia clinica. Fasc. II. pag. 167.

3) Conradi Gesneri historia animalium. Lib. V. Tiguri 1587.

febrium acutarum, aut diarrhoeae aut hydropis, quibus aeger multum humoris assumere cogitur. Urina tamen ipsa a diabetica maxime abhorret, ejusque copia potui assumto respondet.

Diabetes mellitus merito morbis diuturnis adnumeratur, quippe qui saepius per plures annos hominem detinet. Dobsonius et Storerus [1]) acutissimum ejus decursum animadverterunt, ita ut aegrotus post quinque hebdomadas aut menses aliquot extingueretur. Talia vero exempla raro incidunt, et P. Frankius, cujus curae per duodetriginta annorum spatium octo diabetici se commiserunt, nunquam decursum tam rapidum vidit. In ipso tamen morbo periodi obviae sunt, convalescentiam simulantes, in quibus urina minus copiosa, minus dulcis et normali similior excernitur, post quae quidem morbus vehementia aucta recurrere solet.

Cadavera multas quidem exhibuerunt organorum anomalias, alias vero, quam quae diiabetae indolem dilucidarent Organa vitiata post mortem inspecta aut pro morbi causis praedisponentibus aut pro ejus sequelis sunt habenda. Nonnunquam hepar obstructum, [2]) induratum et voluminis aucti, renes flaccidi, molles, fere consumti et Baillieo nec non Illustrissimo Rudolphio [3])

---

[1]) Rolloi dissert. etc. pag. 301. 417.

[2]) Burserii instit. med. pract. Vol. IV §. CCIV. Nota * „Meadius in diabete mortuis semper aliquid steatomatosi referre hepar invenit; quod crassiores, et oleosae partes minus subactae in refrigeratis corporibus figantur in hepate."

[3]) *Horns Archiv. Fascic. 65. pag. 53.*

teste succo albido lacteo aut calculis pleni, aut exulcerati et cerebri nervorumque ex eo orientium substantia durior reperta sunt. Ureteres dilatati, vesicae urinariae membranae densae, tabes universalis corporis, osteomalacia plurium ossium, [1]) alveoli minuti eamque ob causam dentium defectus [2]) vivo homine elapsorum, plurimis a medicis inventa sunt. Sanguis ipse, ejusque serum diversimodi mutatum apparuit. Marshallius [3]) sanguinem in fluidum vidit redactum, quod socolatae tenuis speciem et odorem ex dulci-acidum prae se ferebat. Musculi ceteraeque partes alioquin rubentes, eundem exhibuerunt colorem. Dobsonius [4]) et P. Frankius [5]) sanguinem turbidum deprehendebant, coloris, ut seri, et saporis subdulcis, multis vero aliis hae ejus notae non observatae sunt. Nec minus raro glandulae mesenterii induratae et voluminis aucti inveniebantur, quamvis exempla prostent, quibus nec in renibus nec aliis in visceribus aberrationes a structura normali adfuerunt.

His praemissis ad diabetae divisionem me converto. Plerique medici inter diabeten sthenicum et asthenicum distinguunt. Morbum priorem formam etiam induere, esti Knebelius et Reilius proposuerunt, tamen hujusmodi exemplum vix invenietur. Semper fere morbus indolem astheni-

---

1) philosoph. transact. 1753. No. 459.
2) *Fr. Homes klinische Versuche, Krankengesch. etc. Leipz.* 1781. *pag.* 339.
3) Rolloi dissert. pag. 382.
4) ibid. pag. 418.
5) l. c. pag. 49.

cam referre solėt, quippe qui e noxis debilitantibus oritur, et Creuzwieserus [1]), Sprengelius [2]) et Dreissigius [3]) morbum utique pro asthenico habuerunt, sed duplicem ejus speciem posuerunt:

a. diabeten spasticum, quo urinae secretio anomala ex statu erethico proficiscatur, et

b. diabeten torpidum s. paralyticum, qui et paralysi quadam aut vasorum renalium relaxatione nascatur.

Aliud dividendi principium ex materia saccharina desumitur, num adsit, nec ne, propterea que inter diabeten insipidum, diabeten mellitum et diabeten decipientem distinguitur. Antiquiores observationes dantur quidem a Knebelio [4]) collectae, quae urinam modo copiosiorem, sed saporis fatui absque dulcedine descendisse, nec post evaporationem residui quidquam sacharini praebuisse, testantur. Hic *diabetes insipidus*, multo rarior diabete mellito est, de quo quidem adhuc justis certisque observationibus destituimur, quum autores [5]) ipsi, qui ejus mentionem faciunt, de existentia diabetae insipidi nondum satis consentiant, eumque aliter atque aliter explicent. Dob-

1) Creuzwieser diss. de cognosc. et cur. diabete. Halae 1794. p. 7.

2) C. Sprengel Handb. der Pathologie. Tom. III. pag. 166.

3) l. c. pag. 263 — 266.

4) lib. I. pag. 159.

5) P. Frankii Epitome l. c. pag. 46.

Oosterdyk. Vide: *Sammlungen auserlesener Abhandlungen z. Gebr. f. pr. Aerzte Lib. I. pag.* 179.

Joseph Frank ratio medendi etc. Pars II. pag. 205.

sonius [1]) et Henkius [2]) utrique speciei disputant differentiam essentialem, sed alteram altera excipi posse, et diabeten insipidum minorem gradum morbi modo sistere, sibi persuasum habent, sub quo assimilatio nondum eatenus extincta sit, ut principium parari possit sacharinum.

Diabetae melliti symptomata ac decursum prius recensui.

Denique P. Frankius tertiam speciem, *diabeten decipientem* ponit, sub quo urinae copiam non praeternaturalem principio vero sacharino esse imbutam et aegrotum macrescere asserit. Quae exempla si vera sunt, pro leviori potius diabetae melliti gradu, quam specie singulari habenda.

Typus morbi plerumque continet aut remittit. Noctu utplurimum plus urinae fertur quam interdiu. Morbi historias quae diabeten vere intermisisse evincunt, Reilius [3]) potissimum ex priorum medicorum operibus curiose collegit.

De complicationibus, quibus diabetes stipari solet, moneri expedit, eas plerumque tum demum accedere, si morbus paulo jam processit. Praeter febrem hecticam supra positam, hydrops saepissime diabeten comitari solet, ut aqua vel in pedibus, vel inter cutem vel in corporis cavis coëat, quae si accedit, semper fere mortem certam denuntiat. Nec minus raro blennorrhoea aut phthisi pulmonum exulcerata miser simul conflictatur.

---

1) London medical observations. Vol. V. pag. 303. sqq.
2) *Handbuch der Pathologie* §. 1075.
3) *Fieberlehre pag.* 534 — 535.

Obscurissima hoc in morbo est ratio causarum, et ex illis, quas ceteris profluviis subesse videmus, vix ulla diabetae satis explicat phaenomena. Observationes medicorum aliae cum aliis comparatae plurima suppeditant momenta ad morbum disponentia. Shirefius [1]) exemplum enarrat singulare, puellam duodecim annorum diabete esse correptam; plurimi aegroti aetatis fuerunt quadraginta aut quinquaginta, quin imo septuaginta annorum. Pro sexu viri diabetae magis obnoxii sunt feminis, ut P. Frankius [2]) nec feminam nec puellam diabete laborantem unquam compererit. In Rolloi dissertatione diabetici quatuordecim sexus potioris, septem vero sequioris enumerantur. Minoris momenti hominum sortes ad diabeten excitandum esse videntur. Non praetereundum est, quod Heimius [3]) vir magni nominis urbis nostrae monet, diabeticos a se curatos prudentissimos fuisse et magni ingenii. Nec dispositio hereditaria, multis testimoniis extra omnem fere dubitationem posita, negari potest. Blumenbachius, [4]) Storerus, [5]) Mortonius, [6]) Brisbanius [7]) et P. Frankius [8]) plures ejusdem familiae homines, Rondeletius [9]) patrem et filiam,

---

1) Rolloi dissert. pag. 314.
2) *Medicinische Bibliothek. Lib. II. p.* 126.
3) l. c. §. 480.
4) *Horns Archiv. Vol.* 27. *pag.* 78.
5) Rolloi Dissert. p. 301. c.
6) Phthisiologia. London 1689. 1 Cap. 8.
7) *Sammlung auserles. Abh. etc. Lib. I. pars II.*
8) l. c. pag. 42.
9) Method. cur. morb. Cap. 42.

Thomasius [1]) fratres duos et Isenflammius [2]) septem consanguineos diabete mellito laboravisse, asserunt. Magis aegroti ratio vivendi consideranda venit, praecipue usus diuturnus vegetabilium, farinaceorum, solani tuberosi, leguminum, potuum fermentatorum et vini, vita sedentaria, dispositio scrofulosa, affectus deprimentes [3]) e. g. sollicitudo, egestas, curae et animi contentio immodica; porro domicilia frigida et humida in regionibus nemorosis et alia organismum debilitantia. De diabetae vi contagiosa usque ad nostra tempora observationes ambiguae sunt, experimenta vero Dr. Krimeri [4]) Halensis circa urinam diabeticorum nuper instituta notatu digna sunt, quippe qui residui aliquid diabetici in canum venas et urinam diabeticam in eorum ventriculum injiciebat. Paulo post canis urinam excernebat diabeticae persimilem, et sanguis e venis missus principio sacharino imbutus erat, quae facultates tam diu inhaerebant, quam experimenta interdum iterabantur. Sacharum canariense commune ad haec experimenta adhibitum nulla istiusmodi symptomata excitavit.

Causae occasionales partim sunt praedisponentes jam recensitae, praeterea vero renum irritabi-

---

1) Rolloi dissert. pag. 390.

2) *Practische Versuche über die Eingeweide. Erlangen.* 1784.

3) Boerhave praelect. acad. ed. Halleri. lib. VII. §. 824.

4) *Versuche und Beobachtungen über die Wirkung einiger Stoffe auf die Harnabsonderung, in Bezug auf das Entstehen der honigartigen Harnruhr. Exper. V — VII. vide Horns Archiv.* 1818. *Heft* b. *pag.* 502.

litatem facillime augentes eorumque actuositatem incitantes. Prae omnibus huc pertinent creber usus et continuus plantarum diuresin cientium, e. g. asparagi, apii graveolentis, petroselini, allii sativi, baccarum juniperi, potus aquosi calidi copia nimia et diu assumpta, vini rhenani, canariensis [1]) et vini pomorum abusus, immodicus aquae thermalis potus inprimis urinam moventis, diuretica validiora, mercurialium ceterorumque resolventium usus diuturnus, venena acria, excessus in Venere, debilitantia cujuscunque generis, corporis contentio vehemens et longa sub victu tenui ac parvo, arthritis, rheumatismus, exanthemata chronica, dysenteria, leucorrhoea [2]) et alia profluvia subito suppressa. Nec minoris momenti refrigeria corporis crebra, quibus cutis transpiratio retinetur renumque actio augetur; praecipue vero ventriculi quaedam dispositio ebriositate ac luxurie inducta, per quam multis mixtisque alimentis opus est. Denique morbos varii generis organicos et dynamicos, febres vaculosas acutas, febres intermittentes, variolas malignas, morbillos, scorbutum, helminthiasin, lienis, hepatis et glandularum mesenterii obstructiones et desorganisationes, renum abscessus, suppurationes et calculos, eorum dilatationem et relaxationem aliosque morbos organorum uropoëticorum diabeten inducere ferunt.

---

1) Lister exercitationes de hydrophobia, diabete et hydrope. London 1694. pag. 79.
Thomas Willis pharmaceut. rational, Sect. IV. Cap. III. pag. 207.

2) *Dreissig Handbuch der Pathologie chronischer Krankheiten, Lib. II. pag.* 247 — 248.

Prognosis. Omnis temporis medici unanimi consensu diabeten aut nunquam aut rarissime sanari queruntur. Currieus [1]) nunquam aegrum sanatum vidit, cujus lotium materia sacharina erat imbutum. Itidem Cullenius [2]) et Storerus [3]), etsi in Scotia diabetes saepius occurrit, nullum diabeticum liberum evasisse asserunt. P. Frankius medicum quendam illustrem ne ullum quidem ex viginti aegrotis restituisse, se ipsum vero in Germania et Italia decem curasse, affirmat, quorum duo in totum convaluerint, unus autem morbo recidivo perierit. Quum vero Britannorum medici (quibus morbus saepius obvenit) et prae omnibus Ioannes Rollous, Woolwichensis methodum novam curandi a prioribus ex toto diversam tentarent diligenterque sequerentur, plus spei affulsit, quum post haec exempla haud pauca innotescerent, quibus diabetes mellitus exquisitus feliciter est propulsus [4]). Ut vero methodus illa morbum non ex toto sustulerit, symptomata certe brevi mitigantur.

Generatim periculum in senibus aut febri hectica jam ingressa, aut morbo inveterato, renumque aut aliorum organorum ad vitam necessariorum vitiis inde exortis organicis, praesens et de salute desperandum est. Signa salutaria sunt cutis humescens, fames, sitis, lotii copia et

---

1) Rolloi dissert. pag. 166.
2) ibidem pag. 420.
3) ibidem pag. 292.
4) ibidem pag. 1 — 57, 281, 284, 215, 325.

materia sacharina imminuta, odor ammoniacalis urinae, virium instauratio et corporis augmentum.

Ad dissertationis partem difficiliorem ac praestantiorem, scilicet diabetae melliti pathogeniam me converto. Opiniones de morbi indole hucusque diversissimae interdumque ingeniosissimae exstiterunt, at vero desideriis medicinae rationalis minime satisfecerunt. Viri serioris aevi celeberrimi Anatomen, Chemiam et Pathologiam tractantes nec non medici in curationibus versati, operam quam maximam dederunt, ut hanc materiam dilucidarent, sed confitendum est, medico ad rationis praecepta curanti, parum utilitatis inde redundasse et fere de his esse desperandum donec Chemiae, Physiologiae et Pathologiae plus lucis concilietur.

Priusquam opinionem aliquam amplector, eas enumerare liceat, quae super hac re propositae sunt. — Celsus et Galenus [1]) morbum ex lotii aucta excretione noverunt, eumque *diabeten* (*Διαβήτης, διαβαινω,* pervado) appellarunt, quorum quidem posterior ex renum paralysi aut relaxatione eum oriri arbitrabatur. R. A. Vogelius [2]), Goettingensis morbum ex renum conditione aegrota, aut eorum irritabilitate aucta et statu spastico, aut vasorum renalium atonia et relaxatione induci contendit. Hujus ex theoria urinae quidem quantitas anomala, haud vero ejus dulcedo explicari potest. Alii sanguinem dilutum, alii,

---

1) de locis affectis. Lib. 17. Cap. III.
2) praelectiones etc. §. 367.

praecipue Meadius [1]) malum hepatis habitum et bilis mixtionem vitiosam pro diabetae melliti causa proxima habent, quibus digestio corrumpatur et chylus crudus ad renes adducatur. Utraque opinio plus fidei mereretur, si ejus rationes essent verae, et mortuorum sectiones sanguinem dilutum et hepar obstructum semper portenderent. Jam supra autem commemoravi, multis in exemplis nullas desorganisationes viscerum inveniri, quae diabeten provocare potuerint. — Darwinii opinio tam diu erit hypothetica, donec inter ventriculum et renes vasa resorbentia reperientur, quae chylum ab eo ad hos deducunt. — Nec minus cutis actuositas perversa ejusque vasorum absorbentiam pro causa proxima est habita. Kauschius [2]) eam in spasmo cutis continente posuit, quo humores aquosi retineantur, propter consensum ad renes ferantur ibique excernantur. Haec autem sententia materiae originem sacharinae non satis enucleat: Cutem in diabete aliquatenus esse actuosam et pulmonum superficiei internae instar, humores ex aere exsorbere, ex P. Frankii observatione, quae supra comprehensa est, patere videtur, quum die humida aut si pluviae instarent, aegrotus plus urinae redderet, quam solebat. Quonam alio modo disproportionem assumtorum cum lotii copia continuo excreta conciliabis? P. Frankius [3]) ex peculiari

---

[1]) Rolloi dissertatio pag. 416.

[2]) *Medicinisch chirurgische Erfahrungen in Briefen an verschiedene Gelehrte. Leipzig* 1798. *pag.* 299. *sqq.*

[3]) Epitome. Lib. I. pag. 53.

veneno conditionibus aequis in corpore humano exculto et vasorum lymphaticorum actione augente, diabeten deducit. Inde famem, sitim permagnam, oris faucium et cutis siccitatem, chyli transitum acceleratum ad sanguinem et humorum ad renes adfluxum explicat. Etiamsi venenum adesse concedimus, primarium tamen morbi symptoma, principium nempe sacharinum urinae, non illustratur.

Omnium de diabetae melliti indole sententiarum optima mihi videtur, quam Rollous [1]) proposuit. (C. Sprengelius, [2]) Halensis, fere ei adsentitur). In ventriculi actione intenta cum succi gastrici excretione aucta et vitiosa conjuncta, hunc morbum consistere, ille auctor est, quam principii sacharini solutio e nutrimentis et chyli imperfecte subacti excretio per renes accelerata directe sequatur; corpus adsimilatione animali carere idem contendit, quam ob rem chyli principium sacharinum, in valetudine secunda pro norma mutandum, hoc in morbo nullam mutationem experiatur, et ceu substantia aliena secernatur et excernatur. Procedente morbo vitia organica viscerum abdominis oriuntur, quae quominus sanetur impediunt. Lotii copiam auctam ex renum actuositate majori a ventriculo cum illis communicata deducit. Quae ratio si cum prioribus hoc de morbo propositis comparatur, haud infitias

---

1) l. c. pag. 445. 470.
2) institut. med. Tom. IV. §. 428. „Itaque haud renum solorum, sed totius compagis organorum, quae assimilationem perficiunt, affectio est diabetes."

eundum est, ex ea morbi symptomata plurimum definiri posse, quorum principii sacharini productio difficillima est explicatu. Ubi vero concedis, morbum simul dynamicum ac chemicum esse, explicatio ejus minus tibi afferet difficultatis. Omnibus ex symptomatibus, quibus morbus stipatur, praecipue ex fame ingenti, quacum digestio est perfecta, ventriculi actio aucta elucescit, sive eam ex facultate succi gastrici nimis incitante, sive ex organismi nisu, resarciendi quae mutatione nutrimentorum in sacharum, eorumque excretione amittuntur, explices. Aliud symptoma essentiale, quod quidem haud raro morbi eruptionem diu praecedit, soda intolerabilis et fluidi cujusdam acidioris ructus et vomitus sunt, quod omnes omnino medici se observasse testantur. Cibi assumti praecipue vegetabiles sachari principia continentes facultate succi gastrici hyperoxydati mutationem patiuntur peculiarem, quae Fourcroyi opiniore forsan est fermentatio. Porro negari non potest, plurimos cibos e vegetabilibus prae omnibus quibus pauperiores vescuntur e. g. farinaceos, solanum tuberosum, legumina etc. pituitam continere vel amylum. Viri celeberrimi Chemiam tractantes, Kirchhofius [1]) Petropolitanus, Schraderus [2]), Doebbereinerus [3]) et Doerfurthius [4]), quorum ex-

---

1) *Allgemeine Jenaische Litteratur - Zeitung. Intelligenz - Blatt.* 1811. *No.* 24.

2) *Schweiggers Journal für Chemie und Physik. Nürnberg* 1812. *Lib. IV. pag.* 108 — 110.

3) ibidem pag. 306 — 308.

4) *Neues deutsches Apothekerlexicon.* 1812. *lib. III. pag.* 555 — 560.

perimenta egregia ex plantarum cremore aut farina cum acidis sacharum obtinuerunt, nec non Cruikshankii [1]), qui hordei germinationem ex gasis oxygenii absorptione vidit, multum operae ad rem illustrandam contulerunt et argumenta exhibuerunt, quibus causae proximae definitioni multum facilitatis conciliatur. Cruikshankii experimentis porro patet, farinam puram antea in germine prostantem, post germinationem in substantiam maltiformem, id est talem in massam esse mutatam, quae partem principii sacharini continebat. Contigit etiam, ut detracto oxygenio [2]) sacharum crystallisatum dulcedine privaretur.

Juxta organismi rationem, etsi cum apparatu chemico non comparandam, suspicari tamen licet, materiam sacharinam ex succi gastrici hyperoxydati conjunctione cum muco per alimenta ingesto formari, quae vasis absorbentibus excepta, sanguini adducitur et durante respiratione oxygenii majori copia saturata, principii sacharini indoli adsimilatur, adjumento renum peculiari ex sanguine excernitur et una cum urina ejicitur. Fourcroyus et Rollous hancce opinionem eatenus confirmant, ut credant, materiam animalem in diabete mellito procliviorem esse cum oxygenio sese conjungere, in scorbuto vero illam proclivitatem deesse. Hic etiam observavit, principium sacharinum urinae semper rediisse, quoties diabetici citra praeceptum vegetabilibus vescebantur.

---

1) Rolloi dissert. pag. 549 — 580.
2) ibid. pag. 560.

Non prorsus a veritate abhorret, processum hunc morbosum in diabete mellito non solum sed etiam aliis in morbis aut sub alia forma apparere, materiamque sacharinam nonnunquam per salivam, sudorem, per sputa et quibusdam in diarrhoeis aegrotum exhaurientibus excerni.

P. Frankius, [1]) posteaque Reilius [2]) hanc ad rem animum nostrum primi attenderunt. Plurimis ex observationibus constat, sudorem colliquativum materiam interdum animalem, quin imo saporis mellaginei educere. In diversis morbis, e. g. phthisi pulmonum exulcerata, nec minus interdum in diabete mellito saliva saporis dulcis nauseosi et in blennorrhoea pulmonum materiae cremori lactis similes nonnunquam exspuuntur, quae aegrotum, quamvis appetentia bona est, post breve tempus emaciant. Num forte observationes P. Frankii [3]) et Pearsonii, [4]) cujus quidam aegrotus, cum tussi pituitosa liberatus esset in diabeten mellitum incidit, hanc opinionem probant?

De Diabetae melliti indole sententias multum differre, compertum jam habemus, qua causa ad morbum sanandum rationes propositae tam mul-

---

1) l. c. §. 481.
2) l. c. §. 205.
3) „Jam ante huc conspexuims hydropicos, quibus aquae vel sponte ac paucarum intervallo dierum, per urinas impetuose profluxerant: quibus, insignem ad gradum emaciatis, pellis inanis, ut saccus ab ossibus pendebat: et qui, cum de hydrope tam feliciter devicto laetabantur, post paucos modo dies exhausti, inopinato et medicos inter gratulantes amicos, ut funus concidebant". Epitome lib. V. pag. 61.
4) Rolloi dissert. pag. 357.

multiplices atque etiam inter se contrariae fuerunt, ut quivis medicus peculiarem methodum sanandi rationibus suis congruentem conderet. Omnes fere medicaminum classes in usum vocatae eventum optatum rarissime praestiterunt. Propter morbi pathogeniam mancam curatio ex toto rationalis contingere nondum potuit, sed in sola empiria acquiescere oportuit.

Medicamina saepissime commendata adhibitaque prae omnibus resolventia, tonica, adstringentia, roborantia, antispasmodica, incitantia, diaphoretica, urinam cientia, lithontriptica sunt: mercurialia, extracta amara, cortex peruvianus, martialia, aquae minerales chalybeatae [1]), serum lactis aluminatum, acida mineralia, gummi Kino, alumen, myrrha, cortex quercus, valeriana, asa foetida, digitalis purpurea, camphora, pulvis ipecacuanhae compositus, cantharides, aqua calcariae, vesicatoria perpetua, infrictiones, balnea vaporosa [2]); quorum omnium pulvis ipecacuanhae compositus, alumen, tinctura cantharidum et P. Frankii auctoritate cuprum ammoniatum ad dosin grani unius per diem plurimum auxilii afferebant.

Sin autem consideramus, quam parum haec remedia recensita omnino profuerint et quam raro exempla innotuerint, quibus per ea morbi sanatio contigerit aut exitus malus impeditus fuerit;

---

[1]) *Hufelands Journal für practische Heilkunde. Lib. IV. pars II. pag.* 183.
Rolloi dissert. pag. 301.
[2]) *Horns Archiv.* 1818. *Novbr. et Decbr. pag.* 500.

curatio diabetae peculiaris ab Ioanne Rolloo, Woolwichensi sub finem saeculi praeteriti praeposita, eo majori adtentione et imitatione digna est, quippe cujus utilitas maxima erat et evidentissima. Permultae observationes et morborum historiae in Rolloi tractatu de diabete mellito diligenter expositae sunt, qnibus multi diabetici non solum ex toto sanati, sed etiam jam paucos post dies si medicorum praeceptis obtemperaverant, successum felicem sortiti traduntur. His permotus sum, ut omnibus medicis, quibus diabetes mellitus curandus venit, methodum curandi commendem, quam hac in mea dissertatione posthabitis ceteris describam.

Curationis fundamenta pro rationibus de causa proxima morbi suprapositis et pro respectu causarum remotarum duabus indicationibus satisfieri exigunt:

a) principii sacharini productio aut evolutio in ventriculo caveatur.

b) ventriculi actio anomala morbose aucta solvatur atque ad normam reducatur.

Ad primam indicationem haec pertinent:

Aegrotus alimentis fruatur solum animalibus et omnibus vegetabilibus abstineat, quia haec plus minusve continent pituitae et principii sacharini, itaque hujus productioni favent. Morbo recente victus rationem protinus mutari licet; at si inveteravit, hanc modo sensim fieri et alimenta vegetabilia aegroto paullatim subduci, convenit. Prandeat aeger lac vaccinum cum fluido quodam absorbente e. g. aqua calcaria conjunctum; sub deci-

mam diei horam farcimen porcinum ex cruore aut caro salita, omnia vero sine pane sumantur. Cibus meridianus ex jusculo, carne vitulina aut bubula aut porcina aut ferina, salmonibus, anguillis aliisque piscibus, praecipue marinis; cibus vespertinus ex iis quos prandit aeger, cum casei pauxillo constet. Pro potu consueto lac prodest, cui vitelli ovorum admixti sunt, aut aqua fontana cum aqua menthae piperitae. Praeterea aegrotum kali suphurato ab initio ad drachmam unam, postea ad drachmas duas in aqua fervida solutas per diem uti oportet. Diabeticus per totum curationis tempus omnibus maximeque fortioribus corporis exercitationibus abstineat, in lecto detineatur, corpus nudum indusio laneo circumdet, atque ad cutis resorptionem impediendam, tota ejus superficies lardo perfricetur. Singulo vespere tincturae opii guttae decem ad quindecim cum vini stibiati aut tincturae kalinae dosi duplici aegroto dentur, alvus adstricta vitetur eaque pilulis ex aloe et sapone aut oleo ricini mollis servetur. Indicatio altera.

His legibus per brevius longiusve tempus observatis plerumque morbus eatenus mutatur, ut urina minori principii sacharini copia imbuta sit, quantitas ejus decrescat, fames vero eadem vehementia persistat et urina nondum ad normam respondeat, quippe quae copiosius fertur et animalis materiae nimium continet. Quibus sub conditionibus aucta ventriculi actio deminuenda est, quocirca medicamen aliquod existit, ob facultates narcoticas et Fourcroyi opinione chymum atque san-

guinem desoxydantes hoc in morbo vallentissimum. Ammonium hydrogenato-sulphuratum, s. Hydrosulphur ammoniatum, s. liquorum fumantem Boylii. s. spiritum volatilem Beguini innuo. Effectus ejus ad corpus humanum idem est ac narcoticorum, minima quidem dosis vertiginem, cephalagiam, languorem, pulsum tardiorem, somnum altum et quietum, alvi adstrictiones, soporem efficit, et irritabilitatem auctam insigniter diminuit. Duplex est ejus parandi via. Gas hydrogenio-sulphuratum tam diu cum liquore ammonii caustici commiscetur, dum illud ab hoc ab sorbetur. Pharmacopoeae borussicae editio tertia 1813. hac ratione parari jubet:

℞ Calcariae ustae in pulverem tritae unicas tres
Ammonii muriatici unicas duas
Sulphuris depurati unicam unam.

mixta in retortam vitream immitte, cui statim applicetur excipulum amplum, continens aquae destillatae unicas tres. Juncturis probe firmatis, destilla, igne sensim aucto, ad siccum. Liquorem aurantii coloris, foetorem hydrothionicum spargentem, vase vitreo bene clauso, serva.

Ab initio quatuor, postea vero, duodecim remedii guttae, quater per diem una cum aquae frigidae quantitate sufficiente aegroto prabentur.

Ejus effectus adversus diabeten mellitum peculiares sunt: famem compescit, gingivae ac lingua rubore liberantur inflammatorio, urina minus copiosa odoris urinosi, quae post evaporationem non residuum mellagineum sed urinosum, ammoniacale praebet, excerni solet. Si status hic incursat, aegroto indulgendum est, ut corporis

exercitatione modica, pane albo, potubus ac vegitabilibus alimentis, quam minimum materiae sacharinae continentibus, e. g. brassica, spinacea, lactuca, brassica Botrytide similibusque oleribus minima quidem copia fruatur, ab inunctionibus oleosis abstineatur et medicamina amara assumat. Talis vero status, si a medico negligitur et victus animalis continuo adhibetur, borborygmos, dolores abdominis, faeces ac spiritum foetidi odoris, saporem salsum, transpirationem quasi oleosam, urinam crudam, languorem, tristitiam, appetentiae defectum aliaque scorbuti symptomata movet, quam ob rem urina saepius investiganda est, ut victu animali tunc abstineatur; iterum vero in usum vocari oportet, cum illa rursus dulcescere incipit. Ad ventriculi irritabilitatem nimiam diminuendum, Rollous nonnunquam emetica adhibuit, quorum usum morbi status melior semper secutus est. Non minus venaesectiones a Burserio commendatae morbum reddunt ad tempus leviorem, quarum necessitas iis in casibus tanto major est, ubi morbus in peripneumoniam aut abdominis organorum inflammationem transire minatur.

Curationem diabetae melliti modo percensitam confiteri oportet, cum aliis quae propositae sunt collatam, plurima praestitisse, et in Anglia effectus exseruisse gravissimos, cum morbus ibidem quam in aliis Europae regionibus saepius nascatur. Dolendum vero est, patientiam aegrotorum quam maxime hac cura tentari, quippe quae desideriis eorum vix quidquam respondet. Qui quamvis de ejus efficacia persuasum sibi ha-

beant, et si quid peccaverint, damna ejus futura credunt, plerumque tamen peccant et medicum peccata celant, aegerrimeque ferunt, nullam dari medicinam, licet nauseosam et saporis ingratissimi qua moderatio in victu possit compensari.

CURRICULUM VITAE.

Ego Ferdinandus Fanninger die XXVII. Martii a. MDCCVC Lauenburgi, Pommeraniae oppido natus atque baptismate confessioni Lutheranae adscriptus sum. A. MDCCCII in Gymnasium Mariaeinsulanum sum receptus, ubi per novem annos literarum studiis animum excolendum curavi. A. MDCCXI mense Aprili alumnus in institutum medico-chirurgicum Berolinense, quod Friderici Guilelmi nomine inclaruit acceptus sum. Ibidem medicinae ac chirurgiae per triennium vacavi, quo praeterlapso in Academia ac Universitate literarum hasce Virorum Celeberrimorum praelectiones frequentavi:

De Logice, Mathesi, Psychologia ac Aesthetice Beat. Kiesewetter; de Physice, Chemia ac Pharmacia Cel. Tourte; de Bothanice Beat. Willdenow; de Zoologia Cel. Lichtenstein; de Anatomia tam universa, quam practica ac deque Physiologia Ill. Rudolphi; de pathologia generali Cel. F. Hufeland; de Materia medica Ill.

de Koenen; artem formulas medicas conscribendi Ill. Knape, doctrinam de ossium fracturis luxationibusque ac artem obstetriciam Ill. Mursinna mihi tradiderunt.

Bello cum Francogallis conflato, per integrum annum et sex menses regis nostri castra secutus sum, unde redux in almam Universitatem Regiomontanam me contuli, ibique a viro Amplissimo I. S. Vatero, tunc temporis Prorectore Magnifico, a. autem MDCCCXIX in almam Universitatem Berolinensem profectus a viro Amplissimo Weiſs ejus temporis Rectore Magnif. studiosorum numero adscriptus sum. Hoc temporis intervallo hasce virorum Praeclarissimorum lectionibus interfui: Ill. Berends de semiotice. Cel. Osann de materia medica. Ill. Chr. Guil. Hufeland institutionibus medicinae practicae, nec minus eiusdem viri Ill. scholis de therapia morborum chronicorum. In pathologia speciali Ill. Horn. In therapia inflammationum internarum Ill. Berends praeceptoribus summa auctoritate conspicuis usus sum; akiurgia vero et doctrina de morbis ossium dynamicis Ill. Graefe; chirurgia universa Cel. Rust; anthropologia forensi Ill. Knape me instituerunt. Denique ad medicinam in clinico universitatis medico exercendam discipulum sui studiosissimum me admisit Ill. Berends.

Jam tentamine et examine rigoroso peractis, spero fore, ut post solemnem dissertationis defensionem doctoris medicinae ac chirurgiae honores adipiscar.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Incisio arteriae temporalis est supervacua.

II.

Partus convenientius in lecto quam in sella obstetricia perficitur.

III.

Matrimonium pro medicina est.

IV.

Principium urinae sacharinum in diabete mellito non in renibus paratur sed modo ibi excernitur.